

ad legem peccatum erat in mundo : peccatum verò non imputabatur non existente lege. *Vsque ad legem : intellige legem Dei datam Adamo : quæ lex Mundi, & Lex, simpliciter & sola dici potuit : utpote per cuius transgressionem solam peccatum potuit imputari, & mors regnare toti mundo. Nequaquam verò intelligenda hic est lex data Mosi. Vt enim supra & fusè demonstratum est, imputabatur peccatum antè legem datam Mosi ; & ex imputatione peccati, regnabat mors antè illam.*

*Quærendi ergò erunt alii homines antè Adamum, non antè Mosem; quorum neque peccata fuissent imputata; neque mors regnans : cum ab Adamo, non à Mose, imputari peccatum, mors regnare cæperit.*

## CAPUT XIII.

Creati homines antè Adamum non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami. Legendum hic, *peccaverant, non peccaverunt.*

**A**D JUVAT investigationem hanc quod proxime sequitur. Regnavit mors ab Adamo, &c. In eos etiam qui non peccaverant ad transgressionis Adami similitudinem. Notanda verò sunt curiosè verba illa : In eos etiam qui non peccaverant. ἐπὶ τῶν μὴ ἀμαρτήσωτας. τὸ ἀμαρτήσωτας. τὸ peccaverant; denotat tempus præcedens, Græcis ἀόριστον, latinis indeterminatum : præcedens inquam definitum illud tempus ab Adamo, à quo peccatum intravit in mundum. Denotat homines qui peccaverant antè Adamum, sed non ad transgressionis Adami similitudinem. Peccaverant quidem primi illi homines antè Adamum conditi, sed nullius in legem Dei admittæ fraudis rei erant : ad similitudinem Adami, qui primam fraudem legi Dei fecit. Nulla enim erat promulga-